



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula facultatis pro Confessarij regularibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

strandum, tenorē præsentium approbamus: illud te admonentes & hortantes in Domino, vt quæ pro recta huius sacramenti administratione, & Prouinciabilibus ac Diocæsianis Synodis, & proprio etiam instructionum, ac sacramentali huius Ecclesiæ libro cõnotata sunt, diligenter accurateque attendas, & obserues. In quorum fidem &c. Dat.

Alia eiusdem generis.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. His nostris literis poenitentiae Sacramentum, in Ecclesia S. N. non tamen Clericis ministrandi tibi facultatem concedimus, ac impartimur: illud te admonentes &c.

Formula facultatis pro Confessarijs regularibus.

CAROLVS &c. Tibi dilecto nobis in Christo F. N. ordinis N. His nostris literis poenitentiae Sacramentum in Ciuitate & Diocesi Mediolani, in Ecclesijs tui ordinis, atque etiam grauitæ ægrotantibus, quorum Confessiones tu aliàs audire cõsueueris, in eorum domib⁹, monito tamè prius ipsius ægrotantis Parocho, vbi ægrotudo non sit repentina, aut mortis periculum non immineat (quo casu, ipso etiam non monito volumus idem tibi licere; ita tamen vt quamprimum confessione audita, eundem certiorē facias; testimonio item huiusmodi Sacramenti per te ministrati manu tua subscripto familiaribus infirmi relicto, vt Medico exhiberi possit, ad formam Constitutionis Pij Papæ V. Conciliorumq; tum Prouinc. tum Diocæs.) ministrandi facultatem per concedimus atq; impartimur: illud te admonentes, &c.

Hęc tamen facultas non nisi Confessarijs primæ classis conceditur: cæteris enim in sui tantum ordinis, monasterij in quo degunt Ecclesia, dari solet.

Formula facultatis Missæ sacrum faciendi.

CAROLVS &c. Tibi Presbytero N. Cognita per examen litera-

Pars III.

rum intelligentia, & sacrarum cæremoniærū peritia tua, Missæ sacrum in Ecclesia S. N. faciendi facultatem concedimus: quã facultatem per tibi suffragari volumus. Dat. &c.

Formula facultatis pro residentibus, vt Missæ celebrandæ onus suscipere possint.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. Cùm ex polueris, te nullius Ecclesiastici beneficij, legatue, aut alterius obligationis causa, præterquam Canonicatus, quem obtines in Præpositurali & Collegiata Ecclesia S. N. ad Missæ sacrum faciendum obligatum esse; Nos tibi sic vt asseris, ab omni alia obligatione libero, cognita sacrarum cæremoniarum peritia tua, his nostris literis facultatē damus suscipiendi munus Missæ sacrum faciendi in Ecclesia S. N. ad Altare N. hebdomadibus singulo quoq; mense tantum debitum ex Id verò tibi concedimus, seruatim conditionibus, quas infra adscripsimus.

Quæ de Missæ sacro ritè faciēdo editis instructionibus decreta sunt, diligenter integreque seruabis.

Officium ritu Ambrosiano omnino recitabis.

Decentem habitum clericalem, & coronam, ad præscriptum Conciliorū nostrorum vbiq; semper deferes.

Pro eleemosina nihil amplius quouis prætextu ob huiusmodi Missæ sacrum faciendi munus hac facultate nostra susceptum percipies, quã ad rationē librarum centum octuaginta singulis annis.

Eamque non nisi cum mandato syngraphæ eius, cui hanc curam dederimus, sigillatim exiges.

Diebus singulis supra præfinitis susceptum Missæ sacrum faciendi munus præstabis: nec verò alibi ijs ipsis diebus Missæ sacrum facies, etiam si illis faciendi munus non suscipias; nisi aliquando, de illius, cui id curæ cõmiserimus, consensu, in locū tuum, ob legitimū impedimentū, etiã infirmitatis, quo detinearis, Sacerdotem alium antea substitueris, qui pro muneris à te suscepti ratione,

N 3 quod